

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitum

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput CXXVII. Continens Doctrinam De Verae Et Constantis Invocationis  
Natura, Quae Tandem A Deo Impetret Postulata. Luc. 18. v. 1.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

## CAPUT CXXVII.

CONTINENS DOCTRINAM DE VERÆ ET CONSTANTIS INVOCATIONIS NATURA, QUÆ TANDEM A DEO IMPETRET POSTULATA.

LUC. 18. v. 17.

## RATIO ORDINIS.

**L**ucas adhuc duas Christi conciones numeravit, unam de perseverantia in oratione: alteram de articulo Justificationis. Has breviter expediemus: postea Evangelista coniunctim Christum ex Galilæa reducent in patriam. Cornelius Jansenius in sua concordia Evangelica hanc concessionem reservat in 24. capit.

Matthæi ad postremas conciones Christi, quas Hierosolymis ante suam passionem habuit: quia etiam illic Dominus suis ad preces ardentes, quibus se ad adventum suum præparare debeant, exhortatus est. Sed quæ Christus diversis in locis concionatus est, & Evangelista per circumstantias notant, à nobis non confundenda; sed quæque suo loco relinqvenda.

## PARABOLA DE INIQVO JUDICE, QVÆ DOCET INDESENTER ORANDUM, SI QVID IMPETRARE VELIMUS.

LUC. 18.

1. Ἐλεγε δὲ καὶ παρεῖλην αὐτοῖς πρὸς τὸ δέν πάντοι προσεύχεσθαι, μὴ ἐκκακεῖν.
2. Δέγων, κριτής τις ἦν ἐν τηι πόλει, τὸν Θεὸν μὴ φοβεῖμεν, καὶ αὐθαυτὸν μὴ ἐντερομενό.
3. Χήρας δέ τις ἦν ἐν τῇ πόλει ἔκεινη, καὶ πρῆξο πρὸς αὐτὸν, λεγοτα, ἐκδίκησόν με ἀπὸ τῶν αντιδίκων μου.
4. Καὶ εἰς ιθέλουσεν ἐπὶ χρέον, μετὰ δὲ ταῦτα ἔπειν ἐσαύτη.
5. Εἰ δὲ τὸν Θεὸν ὃ φοβεμαι, καὶ αὐθαυτὸν ωκέ εἰντερομαι, διάκειο παρεχεῖν μοι κοπον τὸ Χρεον ταῦτη, ἐκδίκησα αὐτήν, οὐα μη εἰς τέλον ἐρχομένη ὑποπτεύσῃ με.
6. Εἶπε δὲ ὁ κύριός τοις ἀκόστατε, τί ὁ κριτὴς τῆς οἰδηπας λέγει.
7. Ο δὲ Θεὸς καὶ μὴ ποιήσῃ τὸ ἐκδίκησιν τὸ ἐκλεκτῶν αὐτοῖς τὸ βοσκόντων πρὸς αὐτὸν ἡμέρας καὶ νυκτὸς, μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς.
8. Δέγω ὑμῖν ὅτι ποιήσῃ τὴν ἐκδίκησιν αὐτῷ ἐν τάχει. πλὴν ὁ ποζ τὰ αὐθαυτὰ ἐλθεῖν, δέξαι ἐνθῆσθαι τὴν πίστιν ἐπὶ τῆς γῆς.

1. Dicebat autem ὁ παπολαμ ad illos huc spectantem, quod oportet semper orare, nec desatigari.
2. Dicens, judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat nec hominem reverebatur.
3. Vidua autem quadam erat in civitate illa, ὁ veniebat ad eum, dicens: Vindica me de adversario meo.
4. Et nolebat aliquandiu. Posthac autem dixit intra se.
5. Quanquam Deum non timeo nec hominem reveror, tamen quia molestia est mihi haec vidua, vindicabo illum, ne tandem veniens fugillet me.
6. Ait autem Dominus: Audite, quid judex iniquus dicat.
7. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, etiam cum patiens fuerit super illis?
8. Dico vobis quod faciet vindictam illorum cito. Verum filius hominis cum venerit, an repertura est fidem in terra?

## Periocha hujus concessionis.

**S**criptura sacra nos sèpè multumque ad pias preces exhortatur, & addit simul magnificas promissiones de exauditione, quibus merito ad studium invocationis, excitari debemus. Psal. 50. v. 15. dicit DEUS: Invoca me in die tribulationis, & ego eruam te, & tu glorificabis me. Christus Johan. 16. v. 23. Amen amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, da-

bit vobis. Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit perfectum. Addidit etiam DEUS huic suo mandato pœnam, si quis non obtemperat. Psalm. 79. v. 6. Et Jerem. 10. v. 25. Effundit Dominus iram tuam in gentes, quæ te non noverrunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocarunt. At verò nos sèpenumero in peccando langvidos & remissos reddit, quod nostra opinione

nione interdum multum oramus, & parum exaudimur. Unde quidam ex impatiens preces prorsus intermittunt, & cœcæ fortunæ res suas permittunt, qvandoqvidem putant Deum nec invocatum quidem eas curare. Hisce Christus, ut Evangelista ipse testatur, hac parabola occurrit, & docet, si maxime Deus interdum erga nos orantes difficilior esse videatur, & nos non tantum simus hominum calamitosissimi, sed etiam quo magis oramus, eo profundius in calamitates immergamur, adeo ut preces nostræ vanæ & irritæ esse videantur: nos tamen in vita fidei constantia in precibus perseverare debere. Si enim in defessa vidua oratio æquam sententiam apud iniquum judicem extorxit, quid non sperabunt p̄i apud Deum? Ideo dicit Lucas hanc parabolam dictam esse το in eum finem, ut sic exemplari modo indicet, πάντοι δεν προσυχεοται, quod oportet semper orare, & ut illud πάντοι semper recte intelligamus, addit και μη εκκαθευ, hoc est, non desatigari, non oportere malis succumbere, non frangit adversis, si maxime illa inter precandum crescent & angeantur, non tamen tanta videri oportere, ut propter illa ab oratione desistamus. Dilationem itaque divini auxilii, usque adeo nullam ab oratione deficiendi materiam præbere debere, ut potius alimenta subministret ad orandum, & occasionem urgentiorem reddat ad supplicandum. Nam Deus non uno modo exaudiens solet. Interdum statim largitur petita, ut Eleazar, Genes. 24. v. 12. & Hanna, 1. Sam. 1. v. 11, interdum plus dat; ut Abraham Gen. 17. v. 18. pro Ismaele intercedenti, cui additur Isaac: interdum differt propter gloriam suam, sicut factum cum Lazaro, Joh. 11. v. 4, interdum prorsus non dat, ut Paulo 2. Cor. 12. vers. 8. Nam nos interdum nescimus, quid petamus, ut filii Zebedæi, Matth. 20. v. 22. interdum etiam male petimus, ut in concupiscentiis nostris insumamus, sicut nobis id objicit Jacobus cap. 4. v. 3. Quapropter nos quidem orando insistamus. Nam & Luc. 21. v. 36. Christus nos vigilare jubet, omni tempore orantes. Et Paulus 1. Thess. 5. v. 17. sine intermissione orare jubet. Rursus Philipp. 3. v. 6. dicit: Nihil sollicitis: sed in omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum. Hoc si nos instanter precando nostro loco fecerimus, tunc de exauditione nemimum quidem dubitemus, certi suo tempore & quando Dei hora venerit, auxilium certo subsecuturum. Sed parabolam ipsam audiamus.

I. In ea Christus primum habet descriptionem judicis iniqui his verbis: *Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, nec hominem reverebatur.* In civitatibus judices eliguntur, ut iudicant omnibus & singulis, qui vel a potentioribus, vel a pravis hominibus malitiæ premuntur. Hos, quales esse debeant: describit Jethro ad Moysen Exod. 18, 21. Provide de omni plebe viros sapientes, & timentes Dominum, in quibus sit veritas, & qui oderint malitiam, qui iudicent populum omni tempore. Et Josaphat pius rex suis iudicibus dixit, 2. Paralip. 19. v. 7. sit timor Domini vobiscum: & cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptatio, nec cupidio nummo-

Harm. Tom. I.

rum. Hæc Jethronis & Josaphati descriptio, praesenti judicii prorsus non convenit. Nam primo *Deum non timebat*. Extreme ergo impium, iniquum & injustum fuisse oportet. Ut enim Dei timor fons est omnis sapientia & iustitia: ita ubi Dei timor absit, non facile ab ejusmodi homine quicquam boni proficit. Deinde vero apud hunc etiam accidebat illud, quod erat, *ne hominem extorberet, qui homines reverebatur*, ita ut non erubesceret etiam coram illis peccare. Quod majoris malitia indicium est. Nam non pauci inveniuntur, qui Deum quidem non timunt, ut quem non vident: reverentur tamen hominum iudicia & conspectum, ne coram ipsis peccent. Quando autem quis frontem ita perficit, ut non erubescat, palam etiam coram hominibus peccare, tum talentum extreme impudentem esse, & verticem malitiae attigisse certum est. Sicuti dubitare non licet: hunc judicem fuisse multis valde injurium, munera accepisse, defraudasse partes, rapuisse, & jus atque æquitatem pervertisse. Dignum certe, qui Cambyses regem sortitus eset, de quo Herodotus refert, quod Sisamnem judicem iniquum execravit, & pelle illa solium judiciale texerit, atque filium Oranem patris loco constituerit, cum admonitione, ut rectius judicaret, siquidem exemplum poena indesinenter coram oculis haberet. Sicubi ergo sunt iniqui judices, qui afflitorum, viduarum & pupillorum causas audire non lunt, illis hoc inculcetur, & moneantur, Deum tales iniquos iudices observare, annotare, & suo tempore punire. Addatur etiam Psalmus 82. qui talium iniquorum magistratum poenas refert. De Philippo Macedonum rege narratur, quod ancile eiusdam pauperculæ catram, eum aliquoties interpellantis, audire noluerit, eo quod otium non haberet: sedanum magno animo ipsis respondisse: Proinde nec rex esse velis. Philipus ejus libertatem admiratus, & ipsis aures præbuit, & alios audivit. Regum enim & Principum munus proprium hoc est, ut subditos suos, in primis afflictos, patienter audiant. Alioquin eorum animos plurimum a se alienant. Et historiæ referrunt, Demetrium Macedonum animos, eo potissimum a se alienasse, quod multorum supplices libellos, ipsis spectantibus, in profluentem abjecisset.

II. Huic iniquo judici adjungit hic Christus *viduam*, qua erat in eadem civitate, & premebatur ab *avido adversario suo*. Viduarum status in hoc mundo fere est miserrimus. Unde etiam in Scriptura nomen habent ηλον, quod viro orbatae non valeant loqui & litigare: vel quod colligatae sileant, nec vident vociferationibus & trispudiis. Grace vidua dicitur ρημα, per antiphrasin, α ρημα, quod delitii & oblectamentis careat. Nos Germani vocamus Witwe: quia ipsis videntur. Nam vere ita est, ut vulgo dicitur: Contentiunt spinam cum cecidere rosa. Quoties fit, ut quæ ante in honore fuerint, postea nihil fiant. Curatores eas parum curant. Si fiat ipsis iuria, nemo eas tuetur. Judices nihil lucelli sperare possunt, ideo eas negligunt. Maritus, cuius radix coruscabat, abiit ad patres. Si sunt divites, omnes, seu canes venatici ab ipsis expectant offam. Si sunt pauperculæ, nihil in orbe contemptus & magis neglectum. Si sint juvenes, inveniuntur, qui pudi-

uuuu 4

pudi-

pudicitiae insidentur, quin nomen & famam in suspicionem rapiant. Si sint vetulae, habentur pro inutili terra pondere, quæ omnibus sint obstaculo, & vel propriis liberis nimis diu vivant. Si conciones diligenter visitent, habent suos Empectas, quasi sanctorum pedes devorare velint. Breviter: non videretur miserior creatura sub Sole esse coram hominibus, quam vidua, præsertim si sit i. Tim. v. 5. *μεμονωμένη* desolata. De eo etiam Job conqueritur cap. 24. v. 3. quod suo tempore fuerint in iusti homines, qui alium pupillorum abegrint, & bovem vidua per pignora abstulerint, atque subverterint viam pauperum, & oppresserint pariter terra mansuetos. Sic Sap. 2. v. 10. tribuitur impiis, quod dixerint: non parcamus viduae. Talis etiam fuit hæc vidua, quæ gravem habuit adversarium, qui vel hereditatem intercepit, vel bona aliqua eripuit, vel alii gravioribus injuriis eam opprescit. Hæc ordinarium habuit judicem, eum appellat, *vindicame de adversario meo*, vidua sum, ab omnibus derelicta, adversarium habens me potentiorem; justam tamen habeo causam, licet adversarius opibus & gratia plus valeat. Fer ergo vel tandem inter nos sententiam.

Ethoc fecit ἐπὶ χρόνῳ satis longo tempore. Verum, quia iudex fuit implus, querelas suas satis diu frustra afferit, & exiguum spem habet auxiliū.

Videmus hinc, Christianis non esse prohibitum, quod minus si ab adversariis præter ius graventur, ut judicem audeant, legum præsidium implorent, seque ab adversariorum injuria vindicari petarit.

Hiac Deus ipse in veteri Testamento judicia ordinavit, Deut. 17. v. 8. Et in novo Testamento D. Paulus stan ad tribunal Cæsaris, Cæarem appellavit, & ab hoc judicari voluit, Act. 25. v. 10.

III. Jam indicantur cause suscepit vel tandem patrocinii à judge, idq; ipsius verbis. *Quoniam Deum non timeo, nec hominem reveror; tamen quia molestia est mihi haec vidua, vindicabo eam, ne tandem veniens suggeret me.* Ergo exaudit viduam non ex Dei timore, non ex commiseratione erga afflictam, nec propterea quod justam baberet causam: quæ merito justus judge respicere debet. Sed aliae sunt cause. 1. *διὰ τὸ παρεῖχεν μοι κότον, quia mihi molestia est*, quasi dicat, liberari volo à clamoribus importunæ istius mulieris. Video enim, nisi id siat nullum finem futurum, ipius interpellatum, quibus me obtundet. Ubi vero hic manet *æquitas causa? ubi amor justitiae? ubi odium iustitiae?* Prodit autem hic judge hoc suo sermone omnium impiorum judicium & magistratum animum, quibus *κόπος labor & molestia* est, si pauperum tractanda sit causa. His idem dici debebat, quod Philippo Macedonum regi, ut aut officium faciant, aut ab eo desistant, quia ejus olim coram Deo gravem redditur iunt rationem. 2. *Νέ εἰ, τέλος τοχεύειν ιππωναί γε με, ne tandem veniens suggeret me. εἰς τέλος τοχεύειν*, potest quidem verti, ad extremum venire: sed boni Graci testantur *εἰς τέλος*: idem sonare, quod *πάντοτε*, semper & indesinenter venire. Hunc ergo *κότον* & laborem iniquus judge vult declinare, ne vidua hac identidem ventitando ipsum obtundat, ipsique molestia sit. *ιππωναί γε* proprio significat suggillare eam faciei partem, quæ sub oculis est: metaphorice au-

tem vexare, obtundere, & ita aliquem affligere, ut plagarum vestigia appareant. Et metaphora sumta a pugilibus & luctantibus, qui pugnis, verberibus & cædibus se mutuo obtundunt. Quod ergo plaga corpori, idem indesinentes interpellationes animo praeflant. Miretur autem quis, cum hic judge neminem hominum reveritus sit, quod tamen vel tandem hujus mulierculæ rationem habuerit. Responderi ergo potest, ipsum hoc fecisse, non ex reverentia erga homines, sed ex meritu erga suos concives. Hi enim eum in judicem elegerant, potuerunt ergo eundem ab officio depolare. Metuit itaq; ne si a vidua hæc passim disfamaret, ab honore suo removereatur. Metus igitur, & non reverentia erga homines, eum etiam movit, ut vel tandem hinc vidua jus diceret.

IV. Addit Christus *ἐπίτελον* & censuram suam de toto hoc facto iniqui judicis, atque sic ipse statum & scopum hujus parabolæ ostendit. Ait autem: *Audite quid judge iniquus dicat; Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die & nocte, etiam cum patiens fuerit super illis?* vult dicere: Iniquus judge expugnatus est assiduis precibus vidua, ut ipfem testatur. Deus ergo multo magis patienter se vine precibus suorum fideliū. Notandum autem hic, quod hæc parabola sumpta sit non à simili, sed à dissimili: sicuti plures hujusmodi in Evangelio inveniuntur. Nam si quis DEUM cum iniquo judge conferre velle, is profecto turpiter erraret, atque insuper Deum noratoria & impia injuria afficeret. Non ergo judge iniquus cum Deo, sed perseverantia vidua in instando, cum nostra constantia in precibus, conferri debet. Deus autem & iniquus judge per *ἀριθμὸν* comparari possunt. Hoc modo 1. Judge fuit iniquus: Deus autem est justissimus, qui non potest justitiam negligere, quando ea precibus fideliū imploratur. 2. Judge non est reveritus homines, ac proinde fuit immisericors. Deus autem est misericordissimus, ita ut non possit non afflictorum preces exaudire. Maxime eorum, qui sunt in star vidua desolata. 3. Judge iniquo causa & preces vidua fuerunt *κόπος labor & molestia*. Deo autem nostro nulla invocatio importuna & molesta, imo gratissima *συνέσεως* est, maxime si a pluribus una perficiatur, Matth. 18. v. 19. 4. Iniquus judge viduam nihil extinavit: Deus autem habet eos, qui ipsum in spiritu & veritate invocant, pro suis *εὐλεπτοῖς, ελεῖσι & maxime dilectis*. Vult ergo Christus concludere: An potest in cuiusquam pii hominis mentem venire, ut si videat nonnunquam iniquos judges constantia precum vicos, tandem facere, quod initio diu nolebant, & justam sententiam pronunciare, non multo magis idem de Deo suo Opt. Max. statuat, quod proper miseria inopum & gemitum pauperum sit exsurrexurus & auxilium latus, Psal. 12. v. 6. Maxime qui ad eum *clamant die ac nocte*. Sic vero explicat quid *πάντοτε παρεῖχεν πάντας* semper orare. Non sicuti Euchitæ fecerunt, qui sepositis omnibus aliis laboribus, etiam piis & honestis, unice orationi vacarunt: sed significat de die orare, & noctu non intermittere. Deus itaque suos electos certo liberabit, *etiam cum patiens fuerit supra illis*, scil. impiis. Nam Deus patienter fert impios diu, expectans eos ad pœnitentiam, Rom. 2, 4. Patienter agit

ter agit Deus, inquit Petrus 2. cap. 3. v. 9. propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti. Nequaquam ergo longanimitas Dei poenas tollit, nec obest, quo minus suo tempore poenas dent. Et tum fere tarditas judicii, suppliciorum gravitate compensatur. Certitudinis ergo addit Christus: *Dico vobis, quod faciet illorum vindictam cito.* Tribuit Christus Patri suo epitheton, quo vocat eum *Deum vindictam*: qvo aliqui offenduntur, putantes haec pugnare cum ipsius bonitate & misericordia. Sed errant. Nam David sic distinxvit in Psal. 18. v. 27. cum electo, electus eris; & cum perverso perverteris. Hinc etiam Psal. 94. v. 1. licet eum compellat; Deus ultimum libere age. Exultare age, qui judicas terram: rede retributionem superbis. Et ipse Deus dicit Deut. 32, 35. Mea est ultio, & ego retribuam eis in tempore, ut labatur pes eorum. Cumq; Deus sit iudex totius terrae, teste Abraham Gen. 18. v. 25. non potest iudicium suum aliter exequi, quam ut iustos quidem liberet, atq; sic eos vindicet, impius autem in verticem ipsorum reddat, prout malis suis operibus meriti sunt. Sic vindictam satis gravem exercuit pro Israelitis contra Pharaonem & totam Aegyptum. Sic nimis commonestrare voluit veritatem dicti Zachar. 2. v. 8. qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi sui. Antichristiana Roma qvoque jamdudum ultiōne Dei meruit, ob sanguinem sanctorum, & sanguinem martyrum Jesu, de quo dudum ebria facta est, Apoc. 17. v. 6. sed Deus jam patiens est super illis: verum faciet eorum etiam vindictam cito. Hoc vocabulum cito non pugnat cum *per seipsum* Dei. Nam horas, dies, menses & annos nos non debemus estimare juxta nostrum computum, quibus gravis & molesta est omnis etiam minima mora, qva Deus nostri liberationem differt: sed juxta computum Dei, apud quem est unus dies sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus, 2. Pet. 3, 8. Qvandocunq; ergo a Deo constitutum tempus vindictae advenit, *et rāza & cito*, Deus eam exercuisse dici potest: qvia ut tempus longum est coram hominibus: breve tamen est in oculis Domini. Deinde etiam *et rāza & cito* vindicta exercita dici potest respectu impiorum, qui, quando ex insperato opprimuntur, cito poenas dedisse dici posunt: qvia nihil tale ipsi metuebant. Nam impii conturbantur & erubescunt velociter Psal. 6. v. 11.

V. Totum hunc locum Christus concludit gravii exclamacione: *Veruntamen filius hominis cum venerit, an reperturus est fidem in terra?* Hesitant hic quidam: num haec sententia ad praecedentes apostole accommodari possit, cum tota a praedenti doctrina videatur esse aliena. Sed si quis coherentiam recte attendat, videbit haec a Christo rectissime superioribus adjecta esse. Dixerat, Deū cito facturum vindictam electorum suorum, ac proinde eos in orando perseverare, nec desiccare debere, ut liberationem a malis consequantur. Nunc adversativam subjicit, & conqueritur paucos in fide perfitos: *veruntamen filius hominis quando venerit* Sc. quasi dicat, Pater quidem meus facit electorum suorum vindictam, idque cito per meum adventum, qvo electos meos liberabo ab omnibus malis, ac propterea constanter orare debent. At vero, pro dolor, usū veniet, ut qv-

do Ego venero ad faciendum vindictam electorum meorum, paucos sim inventurus, qui perficiantur in fide, plerisque ab ea deficientibus, & simul etiam à preicatione cessantibus ob liberationis dilationem. Sic ergo facta prius mentione electorum postea recte fidei meminit, eo quod pro electo haberet non possit, qvi non in fide confitans, & ex vera fide etiam in invocatione Dei perseveret. Similiter etiam Christus hic exprimit statum novissimorum temporum, quam dissolute tunc mundus sit victurus, & qvam rari sint vere credentes futuri. Scimus autem *Fidei* vocabulum plura quidem habere significata, in primis autem duo, qvorum primum *Deum* concernit: qvod sumitur pro doctrina fidei, pro ejusdem confessione, & cum primis pro certa fiducia, qua Christum in promissionibus Evangelicis firmo assensu apprehendimus, ut per ipsum iustificemur & salvemur. Alterum significatum homines concernit, & continet dictorum conventorumque constantiam & veritatem. Jam si oculos in mundo circumtulerimus, deprehendemus *fidem rāram esse in terra*, utrovis modo ejus significationem fuscias. Nam quod primum doctrinam fidei verae & sincerae juxta verbum Dei attinet, est ea fere extincta in universo orbe. Turca siquidem Mahometana sua impietate doctrinam fidei de Christo conspurcavit, sicutque totum orientem a fide avertit. In occidente Papa non minus humanis suis traditionibus, conciliorum canonibus & decretis, fidem in Christum abolevit. Quid dicam de Arianis, Servetianis, Anabaptistis in quibus plus blasphemiarum, qvam fidei reperias? His accedunt reliqui fanatici & Schuvermeri, qvi Christo in verbo suo & Sacramentis contradicunt. Quid fidei sincerae apud hos inveniri posse putabis? Superest ergo exigua mundi portio apud eos, qvi Evangelium Christi sincere profitor. Sed & apud hos plures inveniri scimus, qvi ore quidem fidem Christi continent, sed factis eandem negant. Tit. 1. vers. 16. Veniet ergo Dominus Jesus Servator noster ad iudicium qvandocunq; voluerit, dictum hoc suum nimis vere impletum esse inveniet. Quod deinde fidem attinet, quatenus inter homines est constantia dictorum conventorumque, non minus ea in orbe evanuit, quam prior illa. Nulla est constantia in dictis, in promissis, in pactis, in foederibus, in contractibus, in omnibus commerciis, ut DEUS nimis vere repetere possit suam querimoniam, qvam habet Jerem. 5. vers. 1. Circuite vias Jerusalem, & aspicite, & considerate, & querite in plateis ejus, an invenietis virum facientem iudicium, & querentem fidem: & propitius ero ei. Qvod li etiam, vivit Dominus, dixerint, & hoc falso jurabunt. Transi per ordines & status hominum, & in singulis plus infidelitatis quam fidei invenies. Principes viri plus immoderatis exactionibus & venationibus subditos exauriunt, qvam ut eorum pacem & salutem procurent, vicissim subditi magistratibus etiam parum sunt fideles, sicutib; se eis aliquid decerpere posse vident. Ecclesiastum ministri qvoque plus lucro student, & impii ob pusillum gratiae blandiuntur, Ecclesiastis etiam amplioris stipendi gratia permuntant, qvam ut fideles reperiri conentur.

Audi-

Auditores vicissim fidos ministros non obser-  
vant, non diligunt, nulla gratitudine prosequun-  
tur, diffamant, & qvovis damno eos afficere sibi  
laudi ducunt. Si quis porro ad patresfamilias &  
mechanicos artifices descendat: ibi certe etiam  
fidem exulare deprehendet. Quid vero in hac u-  
niversali corruptione faciendum? Id qvod Chri-

stus haec tenus docuit. Qvjsque vocationi sua fide-  
liter insit, stationem suam constanter tueatur,  
Deum assiduis precibus indesinenter fatiget, &  
sibi in Christo Jesu portum salutis paratum esse  
certo credit, sic in adventu Christi liberabitur ab  
omni malo, & ultiōnem impiorum videbit.

## CAPUT CXXVIII.

CONTINENS PARABOLAM DE PHA-  
RISÆO ET PUBLICANO.

LUCAE 18. v. 9.

9. Εἶπε δὲ καὶ ἡρός τινας τὸς πεποιθότας, ἐφ' ἑκατοῖς, ὅτι  
εἰσὶ δίκαιοι· οὐδὲ εἰς θεραπεύτας τοὺς λοιποὺς τὴν παχαῖο-  
λην ταῦτην.  
10. Ἀνθρώποι δύο ἀνέβησαν εἰς τὸ ιερόν προσενέθεαν, ὁ ἕνας  
Φαρισαῖος, καὶ ὁ ἔτερος τελῶν.  
11. Οὐ φριστέοντος σαθῆται, πρὸς ἑκατὸν ταῦτα προσήκεχε· ὁ  
θεος ἐνχωριῶσι, ὅτι ἐπὶ εἰμὶ ὥστε οἱ λοιποὶ τῶν ἀν-  
θρώπων, ἀρπαγεῖς, ἀδικοί, μοιχοί, η καὶ ὡς ἔτερος ὁ  
τελῶν.  
12. Νησέω δίς τῷ σαββάτῳ, ἀποδικαῖω πάντα ὃς  
κτομεῖ.  
13. Καὶ ὁ τελῶνος μακρόθεν ἦσας, ἐκ διδελευτῆς τῆς ὁφ-  
θαλμῆς εἰς τὸν οὐρανὸν ἐπάρας, ἀλλ' ἐτυλιγεὶς τὸ  
ἔτερον αὐτῷ, λεγον, ὁ θεος ἵδεσκετι μοι τῷ αἰματο-  
τωλῷ.  
14. Δέγω ὑμῖν, κατέβη ἔτερος δεδικασμένος εἰς τὸν οἰκὸν  
αὐτῷ, ἢ γὰρ ἐκεῖνος. ὅτι [ταῦς ὁ υψων ἑαυτὸν, τα-  
πεινωθῆσεται. ὁ δὲ τοιωτεῖν ἑαυτὸν, υψωθῆσεται.

9. Dixit autem Ἡ ad quosdam, qui in se confidebant,  
quod essent iusti, Ἡ afferabantur ceteros, parabo-  
lam istam.  
10. Duo homines ascendebant in templum, ut precarentur,  
unus Phariseus, Ἡ alter publicanus.  
11. Phariseus stans, hic apud eō orabat, Deus gratias ago  
tibi quod non sim sicut ceteri homines, raptiores, injus-  
tici, adulteri, velut etiam hic publicanus.  
12. Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium que pos-  
sideo.  
13. Et publicanus procul stans, nec oculos volebat ad cœlum  
attollere, sed percutiebat peccatum suum, dicens: Deus  
propicius esto mihi peccatori.  
14. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam  
magis quam ille. Quia omnis qui se extollit, hu-  
miliabitur. Qui vero humiliat se, exaltatur.

## Periocha hujus parabola.

**Q**via servator noster in præcedenti parabola  
egit de prectione & duabus ejus virtuti-  
bus, fide atque perseverantia. Nam qui sine fide o-  
rat, nihil accipit. Nobis autem Christus dicit  
Marc. 11. v. 24. omnia qvæcumq; orantes pertitis,  
credite, quia accipietis, & evenient vobis. Qui  
etiam in oratione deficit, non mirum, si nihil  
consequatur; qui vero perseverat, si vel iniqvum  
judicem, nedum mitissimum Deum precando  
emollire posset. Et quia hic alteram parabolam  
subjungit de duobus hominibus, qui ascende-  
bant in templum, ut precarentur: ideo etiam hujus parabola  
argumentum esse statuunt doctrinam de pre-  
catione, & voluit Christus hic docere tertiam ora-  
tionis virtutem, nimirum humilitatem. Nam ora-  
tio humiliantis se, dicit Syl. 35, 21. nubes pene-  
trabit; & donec appropinquet, non consolabitur:  
& non discedet, donec Altissimus aspiciat. Et sane  
doctrina de prectione ex hac parabola non in-  
commode tractari posset; siquidem multa piæ ora-  
tionis requisita hic reperiuntur, ut pote 1. oratu-  
rus, non semper tantum cubiculum intret, & domi  
privativum precetur: sed etiam in templum properet,  
ibi se Ecclesia conjungat, ut una cum Ecclesiastico  
coœtu, quasi globo facto, coelum adoriantur. Hæc  
vis Deo grata est. 2. In oratione sua compellat non

sanc̄tos, non Ethnicorum numina, non illas crea-  
turas: sed solum Deum. 3. Non oret apud se; talem  
enim orationem Deus nec audit, nec approbat,  
sed oret ad Deum. 4. Inter precandum non respi-  
ciat proximum, sive meliorem, sive deteriorem,  
non sinifre de eo judicet: sed sciat sibi rem esse  
cum summa maiestate Dei, qui solus sibi reservat  
judicium super omnem carnem. 5. In primis  
autem penitenti corde ad precandum accedat,  
peccata sua agnoscat, coram Deo deprecetur, fidu-  
ciam de remissione eorum firmam ob Christum  
propitiatorem concipiāt, nec de exauditione dubi-  
tet. 6. Inde dominum redeat, ad operas sua voca-  
tionis, in quibus Deo & proximo inserviat. Hæc  
& alia membra, qvad prectionem, ex hac para-  
bola desumi possunt. Atqui Evangelista in exordio  
parabolæ alium nobis ostendit scopum, quod  
nimirum Christus hanc parabolæ dixerit ad quos-  
dam qui in se confidebant, quod iusti essent, Ἡ afferabantur  
ceteros. Et Christus in fine parabolæ pronunciat  
de Publicano, quod iustificatus descendit in domum  
suam, atque sic monstrat, se huic parabolæ inclusa  
fuisse summum articulum Christianæ religionis de  
Justificatione hominis peccatoris coram Deo:  
hoc est, quomodo miser peccator se gerere de-  
beat in hac vita, ut consequatur remissionem  
pecca-